

quæ tum uobis priuatim honesta atq; utilia, tum
reipub. retinendæ necessaria esse iudicant. Siquis
autem huius ordinis auctoritatem aspernatur, & iu-
dicia contemnit hominum, non solum peritorum, Sed
etiam toti reipublicæ optime cupientium, in hoc iu-
re desideranda erit humanitas.

¶ Duxi autem uos adhortandos esse, ne studia
inferiorum artium negligatis quæ & si ad populum
parum habent ostentationis, tamen ad cognoscendas
superiores artes, quæ continēt administrationē reip.
uiam sternunt. Itaq; etiam de ordine discendi pauca
addemus, qui in omnibus rebus ualet plurimum ut
suauissime dixit Xenophon, οὐδὲρ οὕτως οὐτε δι-
χρησον οὐτε καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ ταξις.

Et ut inde sumam inicium, societatem quan-
dam artium inter se esse scitis, Quare etiam si quæ-
dam in uita excellere atq; eminere uidentur tamen
aliarum ope indigent. Quare imprudenter fa-
ciunt, qui dum ambitione aut spe quæstus incitati pro-
perant ad illas superiores, quarum fructus uersan-
tur ob oculos etiam imperitis, reliquas disciplinas
negligunt & contemnunt, quasi ad uitam inutiles.

Ac mihi cogitanti interdum uidetur huius so-
cietatis quædam in ipsis elementis literarum simili-
tudo esse, ubi etsi dignitate præstant uocales, tamen
sine